


Heinrich Rudolph Redecker    Johann Kleiböcker

**Examen iuris ...**

**Secundum :**

Rostochi[i]: Richelius, 1664

**<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn735274347>**

Band (Druck)    Freier  Zugang



RU jurist. 17. Aug. 1664

Redeker, Heinr. Rudolph. /a







2. Rechtsprüfung I. N. D.

10 239.  
xxviii

# EXAMEN JURIS SECUNDUM,

SUB PRÆSIDIO

*Viri Amplissimi & Consultissimi*

DN. D. HENRICI RUDOLPHI,

*Medicæ*

Prof. Publ. Facult. Jur. p. t. Decani,

Sereniss. Duc: Meckl: Consiliarii, & Consistorii

Provincialis Assessoris,

Cognati, Præceptoris ac Patroni sui, omni observantiæ & ho-  
noris cultu æviternum prosequendi,


*Publicè ventilandum  
exhibet*

JOHANNES Kleiböcker /

Osnabrug. Westph.

In Auditorio Majori,

d. 17. Augusti.



ROSTOCHI

Typis JOHANNIS RICHELII, Sen. Typ.


Anno cl<sup>o</sup> l<sup>o</sup> c<sup>o</sup> LXIV.

1664

EXAMEN JURIS  
SECUNDUM

DND HENRICI RUDOLPHI

Prof Publ Facult Jur



In Aedibus Majori

17. Augusti

Rostochi

Typis JOHANNIS RICHTERII  
Anno dñi 1849



I. N. D.

## Examen Secundum.

AD TIT. I.

### DE JUSTITIA ET JURE.

Ad Rubricam.

1. Quomodo coherent §§. bujus tituli?

**I**N hoc titulo agitur de fine juris, qui vel est ultimus *pr. b.* intermedius §. 1. hic consideratur vel respectu ordinis cognoscendi §. 2. vel principiorum §. 3. aut positionum §. 4.

2. *Justitia* vox quot habet significationes?

Quatuor (1) sumitur improprie & tribuitur etiam brutis animalibus *arg. pr. f. de injur. l. 11. ff. eod.* (2) generaliter & continet omnes virtutes, (3) specialiter & posita *justitia* particulari, reliquis virtutibus opponitur, *pr. b.* (4) specialissimè qua actus *justitiæ* denotat *l. fin. ff. de fugit. l. 3. de in integr. restit.*

3. Quotplex est *Justitia*?

Duplex: Universalis, quæ est habitus animi quo homines secundum omnes virtutes justa agunt ac volunt, *Aristot. l. 5. Eth. 1. & Particularis quæ definitur in pr. b. & l. 10. ff. eod.*

4. Quomodo dividitur *Justitia particularis*?

In Commutativam & Distributivam: Illa in commutatione rerum æqualitatem servat *l. 31. ff. de pos.* Hæc ex personæ conditione, plus minusve confert, adeoque respectum personarum includit, *l. 14. §. 3. ff. de mun. & honor. l. 14. C. de suscept. lib. X.*

5. *Jus* quid significat?

Varias admittit significationes *l. pen. ult. ff. h. t.* ex quibus tres præcipuæ sunt attendendæ,

Respond:  
JOHANNES  
Kleibō  
Ber/ Os-  
nabrugā-  
Westph.

C

dæ,



dz, (1) qva denotat præceptū  
*Rubr. J. de J. N. G. & Civ. &*  
*Rubr. de Or. Jur.* (2) artem seu  
 methodicam Legum digesti-  
 onem *Rubr. de J. & J.* & defi-  
 nitur ars æqui & boni *l. 1. ff. h. t.*  
 inde studiū juris *l. 1. §. 2. h. t.* (3)  
 Illud quod alicui cōpetit vel  
 respectu juris in re vel ad rē,  
 ita dicitur jus suum in defini-  
 tione Justitiæ *pr. J. & l. 10. ff. h. t.*

### Ad Principium.

#### 6. Quis est finis juris. prudentia ?

Justitia Universalis, quia  
 hanc legislator in condendis  
 legibus debet observare, ut  
 secundum omnes virtutes  
 bonos cives efficiat *l. 1. §. 1. b.*  
*Nov. 69.* quo etiam tria illa  
 juris præcepta respiciunt §. 3.  
*b* & proinde virtutes reliquæ  
 passim in legib<sup>9</sup> inculcantur,  
 ut fortitudo *l. 3. §. 1. ff. de re*  
*mil. liberalitas l. 16. ff. de usur.*  
*l. 18. de adim. leg. temperantia*  
*l. 1. ff. ad L. Jul. de A. uli. l. fin. de*  
*alim. leg. modestia. l. 28. de pec.*  
*const. gravitas l. 2. §. 31. de O. J.*  
*urbanitas l. 3. de sero. corr. ve-*  
*ritas l. 6. §. de Off. Præs. l. 1. de fals.*

#### 7. Cur ergò particularis justitia hic definita est?

Quia de illa principaliter  
 Imperator fuit sollicitus, ut  
 secundum æquitatem cuiq;  
 suum ita tribuatur, ut non  
 distrahatur ab ullius personæ  
 justiore petitione *l. 31. ff. de pos.*

#### 8. Quid hic significat voluntas ?

Voluntas modo denotat fa-  
 cultatem animæ rationalis  
 appetendi bona & adversan-  
 di mala, & ita opponitur in-  
 tellectui: modo denotat prin-  
 cipium actionum humana-  
 rum, & sic est boni cum recta  
 ratione appetitio. Si priori  
 modo hic sumas, ponitur cau-  
 sa pro effectu, si posteriori  
 modo, principium sumitur pro  
 principiato, quia virtus non  
 consistit in facultate vel ap-  
 petitu, sed in actione; adeoq;  
 genus hoc definiti essenti-  
 am non satis logicè explicat,  
 nisi hanc definitionem ad  
 magistratum referre velim<sup>9</sup>  
 quatenus justitiam exigenti-  
 bus tribuit.

#### 9. Quare

9 *Quare voluntas dicitur constans?*

Non quidem relativè ad hoc vel illud subjectum, sed abstractivè & secundum ipsius rei essentiam, non enim res definiri solent ad conditionem subjecti, sed ad perfectionem sui ipsius; uti itaq; corrupto sensui saccharum amarum & nix atra videtur, utut illud per se dulce & hæc alba sit, ita justitia à bono & æquo non discedit, licet nullus omnino in terrarum orbe sit justus.

10 *Quomodo Jurisprudentia dicitur scientia & notitia?*

Non propriè, quia finis Jurisprudentiæ non est scire sed agere, adeoq; nec subjectum ejus æternū & scientificū est, de quo per propria principia affectiones demonstrantur, sed impropriè & populariter.

Ad §. 1.

11 *Quomodo res divina & humana sunt objectum Jurisprudentiæ?*

19  
Non quia tales, sed quatenus in iis queritur, quid justum aut injustum: Jurisprudentia enim est, scire quid sit in quovis negotio æquum aut iniquum, justum aut injustum, & hoc intuitu dicitur legum autoritas divinas & humanas res bene disponere l. 1. §. 1. C. de V. J. E. §. 7. & seqq. J. de R. D.

12 *Quotupliciter Jurisprudentia consideratur?*

Tripliciter, 1. vel est Legislatoria, quæ pertinet ad eum qui Reip. præest, 2. Judicialis & concernit officium Prætoris, 3. doctrinalis, quæ respicit docentes ac discentes jura.

13 *An jus quatenus est ars, & jurisprudentia sint Synonyma?*

Non, differunt enim uti abstractum & concretum, illud enim per se consideratur, & consistit in methodica Legum, æquum & bonum determinantium, cohesione; Hæc autem refertur ad noscentem & scientem justa & injusta, seu artis præcepta: deinde,

inde, aliud est ars, aliud autem artis scientia.

14. *An is qui est malus Christianus, vel etiam gentilis, possit esse bonus J.C.?*

Aff. Exemplo Ulpiani, qui Modestino prudentum Crippheus, l. 13. § 2. ff. de Excus. Imp. Diocletiano & Maxim: prudentissimus l. 11. C. de Quest. Justiniano disertissimus l. ult. C. de insti. & subst. & summi ingenii vir est l. un. § 9. C. de caduc. toll. & Papiniani, qui sublimissimus dicitur, cujusve in æternum debet manere memoria Constit. de Jur. doc. rei. § 4.

Ad §. 2.

15. *Quomodo debet Doctor incipientibus jura exponere?*

Debet verba ad capacitatem auditorum aptare c. oportet §. 9. 1. juncto can. fin. dist. 73. & ita generaliora præmittere, adeoq; progredi à toto ad partes, l. 1. ff. si pars hered. vel à genere ad species l. 1. ff. de R. C. ne desertorem studiorum efficiat, aut serius ad id

perducat, quo maturius perducì potuisset.

Ad §. 3.

16. *Quid sunt juris præcepta?*

Sunt ipsa principia ex quibus tanquam ex fonte leges fluunt & hauriuntur, primū autem considerat hominem in se, secundum autem & tertium sunt magis relata, quorum alterū consistit in omittendo alterū in committendo.

17. *Estne perpetuus consensus inter hæc præcepta & singulas leges?*

Quoniam non vivitur cum perfectis, omnia tam stricte non possunt obtineri, adeoq; sæpè ex duobus malis minimum est eligendum, nec aliàs minimum prætor curat, l. 4. ff. de restitut. in integr.

18. *Quomodo præceptum differt à regula juris?*

1. Ex illo desumitur jus, hæc autem desumitur ex jure, 2. illud est immotum & perpetuum, hæc facillè vitiat, l. 1. l. 202. ff. de J. R.

Ad

Ad §. 4.

19. *Dividiturne Jus à forma in publicum & privatum?*

Non, sed ab objecto, quoniam alias ars esset publica & privata, quod est absurdum, unde etiam studii positiones, non divisiones dicuntur, studium autem civilis scientiæ in cognitione juris publici & privati consistit.

20. *Quod vocas Jus publicum?*

Jus omne ratione causæ efficientis, formalis & finalis, rectè dicitur publicum, l. 1. 2. 4. §. ff. de LL specialiter autem & respectu objecti, illud jus propriè dicitur publicum, quod directò ad statum Reip. pertinet, consistitq; in sacris, sacerdotibus & magistratibus, l. 1. §. 2. ff. de J. & J.

21. *An Jus publicum æquè ac privatum collectum est ex præceptis naturalibus, gentium & civilibus?*

Materialiter quidè nonnulla juris pub: capita ex jure naturali & gentiù, quoad principia communia, sunt desumpta, l. 2. ff. b. i. non tamen efficienter & formaliter. Jus publicum enim respicit personam mysticam & civium arbitrio institutam, quæ arbitrio humano, non autem naturâ sua subsistit, adeoq; ex præceptis naturalibus colligi non potuit, nec idem est omnium Rerumpubl. status & forma, Franzk b. n. 96. & seqq. deinde in illo salus populi, in hoc autem quod apud singulos æquum & justum est, suprema lex est.

TIT. II.

DE JURE NAT: GENT: & CIVILI.

22. *Quid jus in hoc tit. significat?*

**P**ræceptum naturæ, vel populi vel ejus qui vicem

populi sustinet, jubens recta prohibensve contraria. §. 1. ff. de J. & J. l. 1. 7. 8. ff. de LL.

C 3

2. Quomo-

23. *Quomodo ius est prius  
justitiâ?*

Quando ius sumitur pro arte, justitia illo prior; quando autem pro præcepto, justitia illo posterior est, quoniam justitia fuit antequam leges essent in artem redactæ, nec justitia legum dicitur ante leges.

24. *Quomodo coherens  
§§. in hoc tit.*

Jus hic consideratur 1. absolute quatenus est *insitum* à natura naturante *pr.* vel *constitutum* à natura naturata, vel *positum* à magistratu §. 1. 2. quod dividitur §. 3. declaratur per species pro ratione stat<sup>o</sup> Reipubl. Romanæ distinctas §. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. (2) *relatè* & tunc ratione effectus §. 11. vel *objecti* §. ult.

Principium.

25. *Quot modis consideratur  
ius naturale?*

Tribus modis (1) *latè* quod etiam brutis animalibus tribuitur, quibus tamen formaliter jus non ascribitur,

ita definitur *pr. h. t.* (2) *proprie* quod soli homini ex simplici rationis dictamine competit, (3) *relative* quod rationis usus utilitate & necessitate exigente constituit. *Prima* significatio ex facultate sensitiva fluit, quatenus in brutis animalibus, aliqui actus rectè rationi convenientes, materialiter reperiuntur; *Secunda* ex natura naturante, quæ est ipse Deus, qui ad agendum id quod justum est nos interno rationis dictamine impellit, provenit, hoc sensu, proprie dicitur jus naturale; *tertiam* non simplex ratio, sed rationis *ratio*cinatio adeoq; natura naturata constituit, inde jus gentium appellatur.

26. *Quid est ratio juris?*

Est causa quædam impellens, quæ ex principiis æquitatis jus deducit, & licitum ab illicito, justumq; ab injusto secernit, & unicuiq; actui honestatem vel turpitudinem inesse dicitur, *junge*, *Exam.* 1. q. 77.

6. Ekne

27. *Estne jus naturale ali-  
ud primæ vñ. & aliud  
secundarium?*

Utiq; illud autem in spe-  
cie dicitur jus naturale, & illa  
denotat, quæ sine discursu ex  
simplici ratione fluunt, cujus  
exempla sunt in l. 2. 3. ff. de J.  
& J. l. un. S. 5. C. de r. ux. act.  
hoc appellatur jus gentium,  
S. II. J. de R. D. & S. 1. h. i. &  
illa comprehendit, quæ ob e-  
videntiam usus ac necessita-  
tis communi hominum con-  
sensu introducta sunt, cujus  
juris exempla occurrunt l. 4.  
S. de J. & J. & S. 2. in fin. h. i.

Ad §. 1.

28. *Quomodo differt jus  
naturale à jure civili?*

(1) Etymologiâ adeoq; de-  
finitione nominis. (2) defini-  
tione rei, illud à natura, hoc à  
civitatis potestate proficisci-  
tur, (3) formâ, illud est com-  
mune hoc positivum (4) sub-  
jecto, illud omnes obligat &  
apud omnes custoditur, hoc  
proprium est alicujus civita-  
tis §. 1. 2. h. i. (5) effectu, illud

est immutabile, hoc pro rati-  
one status mutatur S. pen. h. i.

Ad §. 2.

29. *Quomodo omnes gentes  
potuerunt jus constituere?*

Non quod actualiter con-  
venerint & prævia delibera-  
tione hanc vel illam legem  
promulgaverint, sed quod  
ideo rectæ rationis dictami-  
ne utentium suffragio rece-  
ptum sit, quia rationi conveni-  
ens est.

30. *Quomodo servitus in-  
troducenda est quando jus  
naturale est immu-  
tabile?*

Dist: est inter præcepta ju-  
ris positiva, contra quæ sine  
peccato nihil omitti vel com-  
mitti potest & inter præcepta  
permissiva, quæ arbitrio ho-  
minum sunt relicta, quo præ-  
ter libertatem etiam refer-  
tur venatio, hæc enim jura, ut  
ut non planè possint tolli, ta-  
men certo modo à terrarum  
dominis possunt circumscri-  
bi: immutabilia itaque sunt,  
quæ jus naturæ vetat aut præ-  
cipit,

capit, non quæ de jure naturæ tantum licent, *Grot. de Jure pac. & bell. l. 1. c. 2. n. 5.* & quamvis jus naturale variationem recipiat, tamen ipsum jus non tam mutatur, quam circumstantia objecti.

### 31. Quid est jus civile?

Quod quævis civitas, & quisque populus sibi jus constituit §. 1. *h. t.* ita tamen, ut nec in totum à jure naturali recedat, nec per omnia ei seruiat, nam civile à jure naturali fluit per modum determinationis, & arbitramenti humani *l. 6. ff. de J. & J.*

### 32. Sed quando jus civile jure naturali aliquid detrahit, desinitne jus naturale tale esse?

Neg: quia additio & detrahitio, quamvis modum rei varient, non tamè originem ejus plane immutant, adeoque disting: inter merum jus civile & mixtum, e. g. patria potestas est juris naturalis, tale autem respectu originis esse non desinit, licet jus potestatis sit civile, §. 2. *J. de P. P.*

### 33. Jus civile quot modis sumitur?

(1) Denotat omne jus magistratus politici, quod in civitate observatur *l. 6. 9. de J. & J.* & ita includit etiam jus naturale, & opponitur juri divino, (2) omne jus positivum quod potestas civilis ex ratione civili constituit, §. 1. *2. h. t.* (3) opponitur Edictis Prætorum §. 7. *h. l. 8. ff. b. sic.* (4) denotat *LL. XII. ii. pr: J: de Usuc.* (5) Jus Digestorum §. 3. *de testamen. ord.* (6) Jus quod ex prudentum interpretatione sine scripto venit *l. 2. §. 5 ff. O. J.*

### 34. Quinam contractus sunt juris civilis?

(1) Stipulatio *l. 1. ff. locat. §. 9. l. de act.* (2) Literarum obligatio *l. 1. de liter. obligat* (3) Donatio propter nuptias, *Nov. 119. c. 1.*

Ad §. 3.

### 35. Quomodo dividitur jus civile?

In scriptum seu promulgatum, arg. §. 11. *l. de R. D. & non*

non scriptum, seu tacito populi consensu approbatum.

36. *Estne scriptura de essentia legis?*

Non, quoniam materia legis est æquum & bonum, forma autem ipsa promulgatio, adeoque scriptura, quæ rem constitutam sequitur, essentiam ejus non constituit.

37. *Unde desumitur diversitas juris scripti?*

A vario Reipubl. Romanæ statu: post ejectos enim Reges promulgabantur leges; cumque postea Respubl. Rom. degeneraret in politiam, plebiscita; deinde in statu Aristocratico Senatusconsulta, & Prætorum edicta; & cum Respubl. per unum regeretur Constitutiones Principum, l. 2. §. 4. & seqq. de O. J. §. 4. 5 6 7. h. e. Principes autem responsis prudentum autoritatem dederunt d. l. 2. §. 47.

Ad §. 4.

38. *Quot modis sumitur vox legis?*

(1) Pro omni jure natura-

28  
li & civili l. 24. de stat. hom. l. 1. 2 ff. de LL. (2) Pro jure positivo tantum i. e. de LL. (3) Pro jure scripto l. 9. de J. & J. c. 4. dist. 1. (4) Pro plebiscito ac lege l. 9. de pad. l. 1. ff. de off. ei. cui. (5) Pro plebiscito tantum, Rubr. ad L. Falc. (6) Pro LL. XII. tt. l. 130. de V. S. l. 2. §. 12. de O. I. (7) pro lege lata à populo primo post ejectos Reges tempore, & quidem Magistratu Senatorio interrogate, l. 2. §. 3. 4. d. t. §. 4. b. iii.

39. *Qua ratione cepit plebis authoritas?*

Cum ita premeretur à patritiis ut secederet l. 2. §. 8. de O. I. inde seditionis sopiendæ causa plebiscita lata sunt, quæ L. Hortensia vim legis acceperunt: adeoque; lex & plebiscitum specie constituendi quidem differunt, non autem potestate l. 2. §. 6. 8 d. t.

40. *Quotuplex fuit secessio plebis?*

Triplex: (1) in montem sacrum propter nexos, & tunc obtinuit tribunos Coll. lib. 15. cap. 27. (2) Propter decemvi-



centuiros & præcipuè ob iniustitiã Appii Claudii, in montem Aventinum & tunc L. Horatia lata est *Liv. lib. 3. d. l. 2. §. 24.* (5) in montem Janiculum propter æs alienũ, & tunc L. Hortensia lata, obtinere plebiscita vim Legis *d. l. 2. §. 8. Mastert. de Just. LL. Rom. dub. 13.*

Ad §. 5.

#### 41. Quid est Senatus-Consultum?

Quod in statu Aristocratico Consule interrogante, vel in statu Monarchico Principe consentiente Senatus jubet atq; constituit *§. 5. b. l. 9. ff. l. 8. C. de LL.* unde eadẽ leges modo orationes Principum modo autem Senatusconsulta vocantur, *l. 23. §. 2. ff. de cond. indeb. l. 1. §. 10. ff. de reb. eor. qui.*

#### 42. Quis est genuinus sensus l. 9. ff. de LL.

In statu Aristocratico Senatus jus facit jure Magistratus & ita proprio jure *l. 2. §. 9. de O. l.* in statu populari suffra-

gio, si tribuni plebis Sc. approbent, in statu autem Monarchico consensu, communitia aut voluntate principis Sc. fit, *l. 20. §. 6. de pec. hered. jung. Gl. ad L. 9.*

Ad §. 6.

#### 43. Quid sunt constitutiones Principum?

Sunt mandata Principum, quæ non ex nuda opinione, sed ex placito rationis & consilii vim legis habent, *leg. 1. ff. de consue. princ. l. 3. C. de LL.*

#### 44. Quo jure Princeps hanc potestatem habet?

L. Regia quæ discordante Republica, popul<sup>o</sup> Romanus omnem potestatem ei & in eum abdicativè contulit *d. l. 1. pr. l. 2. §. 11. de O. l. l. 1. §. 7. C. de V. I. E.* dicitur autem L. Augusti *l. 14. ff. de Manumiss.* quoniam Augustus primo hanc potestatem conferente populo Romano obtinuit, *Sueton. in August. c. 58.*

#### 45. Quomodo dividuntur constitutiones principum?

Sunt vel generales quæ omnes

omnes

omnes concernunt, & jus commune constituunt, vel speciales, quæ privilegia dicuntur l. 1. de const. princ. & jus singulari. l. 14. 15. 16. ff. de LL.

46. Recense aliquot species constitutionum generalium?

(1) Decretum est sententia inter litigantes lata, (2) Epistola est rescriptum Principis ad consulentes emissum §. 6. b (3) Interlocutio est sententia de plano lata, litem non definiens l. 3. C. de LL (4) Edictum est quo publicè quid jubetur l. 1. de const. princ. (5) Pragmatica sanctio est rescriptum quod ex sententia concilii ad universitatem emittitur, l. fin. C. de divers. rescript. quo genere leges Imperii modernæ satis bene definiuntur. (6) Oratio recitatur in senatu, ut fiat Senatusconsultum l. 11. de his quæ ut ind.

47. Quid est Privilegium? Est jus singulare ob aliquam æquitatis rationem, contra jus commune indultum d. l. 16. de LL. const. 3. dist. 3. l. 9. C.

27  
de testam. l. 14. C. de usufr. & habit. Nov. 163.

48. Quotuplex est Privilegium?

Triplex: Personale quod certæ personæ indulgetur, & cum persona expirat, l. 68. l. 196. de R. I. Reale, quod ipsi rei seu causæ conceditur, nec cum persona expirat, unde dicitur perpetuum d. l. 196. Mixtum, quod personæ mysticæ seu collegio alicui datur, quæ non moritur l. 76. de Judic. adeoq; respectu ordinis est reale respectu autè singulorum personale.

Ad §. 7.

49. Quinam fuerunt Praetores apud Romanos?

Magistratus, qui in statu Rom. aristocratico jura reddebant, & edicta proponebant, l. 2. § 10. 27 28. de O. J. Juris disceptator, qui privata judicet, judicari vos jubeat Praetor esto. Cic. l. 2. de LL. Unde jus dicentis l. 1. ff. de Jurisd. & simplici magistratus nomine d. l. 2 §. 27. Praetor intelligitur.

C 2

50. Quid

50. *Quid sunt edicta Pratorum?*

Sunt jus quod ab initio magistratus Pratores in pictatio, seu gypsata illa & de albata tabula (album pratoris dicta l. 7. ff. de Jurisd.) proponebant, ut scirent cives, quod jus de qua re quisque dicturus esset d. l. 2. §. 10. 27.

51. *Quanam est auctoritas juris Pratorii?*

Quod possit vel adjuvare, vel supplere, vel corrigere, vel confirmare jus civile l. 7. ff. de J. & J. l. 3. §. 1. naut. caup. stab. pr. J. de bon. poss. est enim viva vox juris civilis l. 8. de J. & J.

52. *Quis in unum volumen collegit Pratorum Edicta?*

Pratorum Edicta vagè dispersa. Salvius Julianus, qui sub Imperatore Adriano præcipuè claruit, ejus jussu in unum volumen 10. libris, quod *digestorum* nomine appellavit, distinctum, & Edictum Perpetuum dictum, re-

degit l. 2. §. 19. C. de V. J. E. l. pen. C. de cond. indeb.

53. *Ergo omne jus quod Prator in albo proposuit est pratorium?*

Non, sed quod ex sua Jurisdictione comparavit §. 3. J. de act. quoniam etiam juris civilis disceptator & custos est d. l. 3. §. 1. naut. caup. stab. junget. l. 1. ff. de pos. l. 1. ff. comm.

54. *Quinā fuerunt Ediles curules?*

Erant magistratus, qui ædiles dicebantur ab ædib<sup>9</sup>, quarum præcipuam curam habebant, curules à curru quo utebantur, vel sellis quibus insidebant, illisque cura ædificiorum, ludorum, annonæ, viarum, & emtionū erat commissa l. 2. §. 25. 26. de O. J.

Ad §. 8.

55. *Quid sunt Responsa prudentum?*

Sententiæ & opiniones eorum, quibus permissum erat de jure respondere §. 8. h. non enim tantum interpretaban-

tabantur jus commune, l. ult. C. de Curat. fur. l. pen. C. de testam. sed etiam impetrata auctoritate imperiali, novū jus condebant, unde dicuntur juris conditores & autores l. 1. C. de comm. ser. man. l. 23. C. de Procur. l. 25. C. de nupt. l. 3. §. fin. ff. si pars her. l. 39. ff. de act. eme.

56. An singulorum Jurisconsultorum opiniones jus faciunt?

Non, sed quando omnes prudentes in unum locum conveniebant, & de casu aliquo proposito secundum plurium sententiam respondebant d. §. 8. ibi, omnium sententia & opiniones, junctā l. 43. de act. eme. arg. l. 40. de R. C. l. 26. C. de nupt. §. 25. J. de R. D.

57. Referuntur ne Responsa prudentum ad jus scriptum?

In statu populari Pomponius illa ad jus non scriptum refert l. 2. §. 5. de O. J. quia imperantis auctoritate destituebantur. In statu autem monarchico, & quidem post

27  
tempora Augusti ad jus scriptum recte referuntur §. 3. J. b. i. junctā d. l. 2. §. 47.

58. Responsa prudentum quam hodie auctoritatem habent?

Non equidem, nisi ex partium litigantium vel judicis consensu, sententia vel juris vim habent; probabilia tamen sunt, ejusque ponderis, ut, si quis Facultatis alicujus juridicæ Scabinatus, vel duorum probatorum Jctorum responsa pro se habeat, justam censeatur habere litigandi causam, nec victus facile possit in expensas damnari, Mei och. de A. J. Q. l. 2. cent. 2. c. 177. n. 5.

Ad §. 9.

59. Quid est consuetudo?

Est jus non scriptum quod populus tacito consensu per diuturni usus frequentes actus approbavit.

60. Quomodo differt consuetudo ab observantia?

Utri causa ab effectu observantia est tantum actus ali-

C 3

quis,

quis, consensu tamen utentium, ut pro jure habeatur, nondū comprobatus, ex quo tandem consuetudo oritur.

**61. Quomodo à stylo curiæ?**

Uti genus à specie, stylus enim est particularis, quia tantum viget in illa curia, in qua est receptus, consuetudo autem generalis. Est autem stylus curiæ consuetudo in ordine alicujus judicii comprobata.

**62. Ad consuetudinem introducendam qua requiruntur?**

Quatuor, (1) diversi actus non tantum judiciales, verum etiam extra judiciales, l. 1. C. *qua sit long. consu.* (2) consensus utentium §. 9. b. c. 3. dist. 4. (3) rationabilitas l. 14. 39. ff. de LL (4) diuturnitas temporis l. 32. cum LL. seqq. d. e. Speckh. cent. 1. q. 73.

**63. Quanam est auctoritas consuetudinis?**

1. Quod sit legis optima interpres d. l. 32. & 37. de LL.

2. Legem abroget, corrigat, vel legi derogat l. 6. ff. de evict. dd. LL. 32. & 37. 3. novum jus constituat l. 2. C. *qua sit long. consuet. c. 5. 8. X. de consuet.*

**64. Consuetudo quomodo probatur?**

Probanda est ab allegante d. l. 1. C. l. 10. C. de non num. pec. adeoq; nec Doctori de consuetudine testanti plena fides deficientibus aliis adminiculis habenda arg. l. 12. ff. l. 9. C. de test. quoniam consuetudo facti est, quæ nullatenus nisi rite cum suis circumstantiis probetur, præsumitur, c. 1. de consue. in 6. Gal. 2. Obj. 31. n. 15.

Ad §. 10.

**65. Quid statuis de hoc Paragrapho?**

Illum minus considerate scripsit Tribonianus; quamvis enim Lacedæmonii auctore Lycurgo leges promulgatas potius memoria mandarint, quam ut eas in scripturam redegerint, tamen illorum leges, jus non scriptum vocare à vero aberrat, erat autem

Lace-

Lacedæmoniorum jus scriptum, seu promulgatum, sed scripturâ destitutum.

Ad §. II.

**66. Quare jus civile est mutabile, jus autem naturale per se non?**

Quoniam duplex est ratio juris, altera civilis quæ statum respicit, & ita autoritate potissimum constat, adeoque utilitate exigente mutationem recipit, altera naturalis, quæ ex principiis naturæ mentibus hominum inscriptis dependet, & hæc omnem mutationem respuit, *Connan. I. Comm. I. 2.*

**67. Quomodo jus civile mutatur?**

Non tantum tacito consensu populi seu consuetudine, verum etiam contraria lege postea lata, dubium enim haud est, quod leges po-

<sup>34</sup>  
steriores prioribus derogant  
*l. 16. 17. 18. ff. de LL.*

**68. Quando Leges civiles sunt mutanda?**

In rebus novis constituendis evidens esse debet utilitas, ut recedatur ab eo jure, quod diu æquum visum est, *l. 2. ff. de Const. Princ.* consultius enim Reip. esse videtur, legibus se non omnino recte habentibus uti, quam si leges subinde mutantur.

Ad §. ult.

**69. Quodnam est objectum juris?**

Objectum juris commune, est judicium, quatenus scilicet res divinæ & humanæ in judicium deducuntur, & per actiones personis tribuntur, adeoque jus omne ad personas pertinet, vel ad res, vel ad actiones, & ita triplex est objectum partiale, *l. 1. 2. de flat. hom.*

AD

## DE JURE PERSONARUM.

## Ad Rubricam.

70. *Quomodo coherent §§. hujus tituli?*

IN hoc titulo proponitur summa personarum divisio ex jure gentium desumpta pr: quæ declaratur abstractivè §. 1. 2. concretivè, in servis §. 3. 4. & liberis §. 5.

71. *Quomodo intelligis rubricam?*

Jus personarum hic denotat statum, & conditionem hominis civiliter considerati, quæ eum qualificat, ut hoc vel illo jure utatur, l. 1. 2. 3. ff. de stat. hom.

## Ad Principium.

72. *Quomodo homo potest dividi?*

Non dividitur per differentias oppositas ratione essentiali suæ, quia est species infima, sed ratione qualitatium & ita ab accidentibus.

73. *Quanam est prima hominum divisio?*

Quæ desumitur à natura, ubi omnes homines vel sunt mares vel foeminae l. 9. de stat. hom. l. 15. de lib. caus. l. 152. de V. S. qui enim ex l. 38. §. 5. ff. de pœnis, mulieres, non esse homines serio asserunt, mentem legis non satis intelligunt, nec digni sunt qui matre homine se natos esse gloriantur.

74. *Cur itaq; hac dicitur summa divisio?*

Non respectu ordinis, sed juris & inde provenientis utilitatis, quemadmodum eodem termino obligationes & actiones etiam dividuntur §. 1. ff. de obl §. 1. ff. de acti quatenus scilicet alias subdivisiones continent.

75. *Quoniam omnes homines sunt liberi aut servi, quo ergo refert statuli-beros & ascriptitios?*

Illi, utpote qui libertatem sub conditione promissam habent, annumerantur servis, l. 9. l. 16. de statu lib. quoniam conditio pendens nihil ponit in esse. Hi autem quia pro certa pensione fundos colendos suscipiunt mediae sunt conditionis, nam respectu dominorum & glebae cui sunt ascripti pro servis, respectu autem aliorum servorum pro liberis reputantur l. 21. C. de agric. & cens. l. 1. C. de pred. Tbam. lib. XI.

76. Quid statuis de hodiernis Christianorum servis?

In seculo 12. veros servos adhuc in Italia fuisse testatur l. 1. X. de conj. serv. an autem unquam in Germania fuerint, majoris difficultatis res est: Coeterum quod illi quos proprios homines vocamus Germ: Eigenleute/ Eigengehörige/ R. l. de An. 1442. & 1512. §. Erstlich/ & in hoc Ducatu & vicinis provinciis Unterthanen/ ad naturam ascriptitiorum proximè accedant, nullum est dubium, de

quibus proinde plenius est agendum in tit. C. de agr. & cens. lib. XI. Ad §. 1.

77. Cui juri ascribitur libertas?

Juri naturali quo dominia rerum nondum fuere distincta l. 4. de J. & J. l. 64. ff. de cond. indeb. & communi nomine omnes homines dicti pr. l. de libert. adeoq; libertas olim facti fuit, post servitutem autem introductam, juris esse coepit.

78. Quid intelligis per vim & jus in definitione libertatis?

Vis refertur ad libertatis actum, l. 2. ff. de lib. hom. exhib. nam, qui in carcere vel à latronibus vel aliàs detinentur liberi manent l. 24. ff. de cape & postl. revers. l. 3. qui test. fac. poss. quamvis agendi facultate cohibeantur. Jus autem non tam restringit, quam potius vim agendi impedit, resistente scil. lege vel honestate arg. l. 15. ff. de cond. instie.

Ad §. 2.

79. Cui juri ascribitur servitus?

E Juri



Juri Gentium si originem respexeris, l. 4. ff. de J. & J. l. 4. §. 1. de stat. bom. pr. J. de libere. nam consequenter etiam jure civili constituta est §. 4. h. i.

80. *Quomodo servitus dicitur constitutio?*

Tropicè, quatenus causa ponitur pro effectu, pro illo scil. quod jure gentium constitutum est, ita thesaurus dicitur depositio pecuniæ l. 31. §. 1. ff. de A. R. D. & pactio accipitur pro pacto l. 1 §. 2. ff. de pact. l. 5. ff. de palli: rectius tñ. diceretur libertatis privatio, si aliàs à definitionibus Justinianeis esset recedendum.

81. *Daturne servus sine domino?*

Regulariter servus sine domino non datur, quia id non admittit natura relatorum, unde dicitur esse in dominio §. 2. h. i. nec caput habere §. 4. J. de cap. min. l. fin. ff. eod. hinc nec servus hereditarius sine domino est, quia hereditas defuncti vicè sustinet pr. J. de stip. serv. l. 31. §. 1. ff. de her. in fin. nec servus poenæ, quia non fiscus sed poena ejus dominiū

habere censetur l. 3. pr. ff. de his quæ pro non scrip. l. 17. ff. de poen: potest tamen absolute ratione status & conditionis suæ servus considerari, & sic talis etiam dicitur, utut non habeat dominum l. 38. §. 1. de nox. act. l. 36. de stipul. serv.

Ad §. 3.

82. *Unde dicuntur servi?*

A servando, l. 239. de V. S. jure belli enim hostes resistentes impune occidere licet §. 17. J. de R. D. l. 3. ad L. Corneli: de sic: quoniam autem truculentum & inhumanum videtur arma abjicientes, & se ultro dedentes prosterne- re, rectius manucapiuntur & in dominio servantur.

Ad §. 4.

83. *Quot modis fiunt servi?*

Vel nascuntur ex ancillis nostris & dicuntur vernæ l. 10. C. de R. V. l. 36. ff. de leg. 1. quia verno tempore ut plurimū nati ventrem sequuntur l. 7. C. d. 2. vel fiunt & tunc jure gentiū captivitate in justo bello l. 21. 24. 25. ff. de cap. & postl: re. v. jure civili venditione l. 5. §. 1. ff. h. i.

48. Quod

84. Quot habes requisita  
huius venditionis?

Quoniam liberi hominis  
nullum est commercium l. 6. 10.  
C. de lib. caus. § 5. J. de emt. vend.  
requiritur (1) ut vendendus  
sit major 20. annis l. 9. §. 4. ff. de  
minor. (2) ut pretii partici-  
pandi causa venditioni con-  
sentiat l. 5. §. 8. h. e. (3) ut re-  
apse pretii particeps fiat d. l. 9.  
§. 4. (4) ut emtor bonam fi-  
dem habeat l. 7. §. 2. de lib. caus.  
sed hunc servitutis modum  
Imper. Leo abrogavit Nov.  
Leon: 59. Pat. in anal. Inst. h. e.

85. Nonne sunt plures modi  
constituendi servitutem?

Utiq; (1) Quando libertus  
propter ingratitude in  
servitute revocatur l. 2. 3. 4.  
C. de libert. & cor. lib. (2) si quis  
per sententiam servus poenae  
efficiatur l. 6. §. 6. ff. de inust.

rupt. §. 3. J. quibus m. ius pat. por.  
§. 1. de cap. min. quæ tamen  
poena sublata est Nov. 22. c. 8.  
Aurb. sed hodie C. de don. inter vir.  
& uxor. (3) quando parentes  
necessitate coacti, liberos di-  
strahunt l. 2. C. de patrib. qui fili.  
(4) Jure Lubecensi creditori  
licitum est obæratum debi-  
torem in servitutem redige-  
re l. 1. tit. 3. art. 1. quod tamen  
jus commune non admittit,  
l. 12. C. de O. & A.

Ad §. 5.

86. Nonne servorum ali-  
qua differentia?

Ratione status inter servos  
nulla est differentia, sed o-  
mnes unius sunt conditionis,  
ratione officii autem alii villi-  
oribus, alii autem honestio-  
ribus negotiis adhibentur,  
l. 15. §. 1. ff. de usufr.

AD TIT. IV.

DE INGENUIS.

Ad Principium.

87. Quis est ingenuus?

Non tantum, qui statim,  
ut natus est, liber est,  
verum etiã, qui à Principe na-

talib<sup>9</sup> restitutus, l. 2. de nat. rest.  
vel aureo annulo donatus l. 2.  
de jur. aur. ann. vel per senten-  
tia talis declaratus l. 25. de stat.  
hom. vel in clerum allectus  
est, Nov. 123. c. 17. hodie ipsa

E 2

manu-

36  
manumissio facit ingenuos,  
Nov: 78. c. 1. 2.

88. *In quibus causis partus  
sequitur matrem?*

In naturalibus l. 19. d. 1. l. 5.  
§. 2. de R. V. l. 52 §. 20. de furt.  
in civilibus autem patrem se-  
quitur d. l. 19. 2. 24. de stat. hom.

Ad §. 1.

89. *Quomodo natalibus  
non officit manumissio?*

Quando quis de facto in  
servitute detinetur, ei non  
obstat manumissum esse l. 13.  
ff. qui res. fac. poss. l. 24. ff. de capt.  
& possl.

90. *Quomodo non debet ca-  
lamitas matris ei nocere  
qui in ventre est?*

1. Quatenus sufficit matrem  
fuisse liberam tempore con-  
ceptionis, gestationis, aut  
partus pr: h. i. nascitur enim  
pro jam nato habetur, quoti-  
es de ejus commodo agitur l. 7.  
l. pen. de stat. hom. (2) pragnans  
mulier nec torquetur, nec  
punitur, donec pepererit l. 18.  
d. 1. l. 3. 26. ff. de part.

91. *Quid hic sunt natales?*

Natales seu ingenuitas de-  
notant statum ingenuorum, l. 2.  
C. de Testib. l. 2. de jur. aur. anno

AD TIT: V.

DE LIBERTINIS.

Ad Rubricam.

92. *Quanam est connexio  
§§. hujus tituli?*

**D**elibertinis agitur in ge-  
nere pr: in specie quo-  
modo fiant §. 1. 2. & quæ illo-  
rum conditio §. 3.

Ad Principium.

93. *Quid sunt libertini?*

Qui ex justa servitute sunt ma-  
numissi, vel lege liberati pr: b.  
& i. i. ff. qui sin. man. ad lib. perv.

94. *Quanam est differen-  
tia inter libertum & li-  
bertinum?*

Ille refertur ad patronum,  
hic autem ad manumissionem,  
adeoque ad statum hominis  
manumissi, itaque omnis li-  
bertus est libertinus, sed non  
contra l. 1. C. de libert. & sor. lib.  
l. ult. C. de collus. deteg.

95. *Manus quid significat  
in jure?*

1. Pote-

1. Potestatem, ut *h. pr. l. 23*  
*S. 1. de O. J. l. 4. de J. & J. l. pen:*  
*C. de furt. (2) vim, l. pen. de servo*  
*exp. l. II. S. 3. ff. de his qui noc inf.*  
*(3) chirographum l. 15. ff. de*  
*probat. (4) membrum l. 48. S.*  
*1. ff. de V. S.*

**96. Quomodo servitus liber-**  
**tate in vasi?**

Jure gentium propter ma-  
jus malum evitandum, ne  
sel. victi in bello occideren-  
tur, est itaq; contra jus natu-  
rale non decretivum sed per-  
missivum, quia natura per se  
omnium libertate intendit.

**97. Quid vox hominis**  
**denotat in jure?**

(1) In genere animal rati-  
onis particeps, sine ulla status  
aut sexus discretionem *l. 152. de*  
*V. S. S. 1. F. de Fur. N. G. & C.*  
(2) specialiter foetum de cujus  
sexus discretionem nondum con-  
stat *l. 38. S. 1. ff. de pæn:* alias par-  
tus nondum editus secundum  
leges non recte dicitur ho-  
mo *l. 9. ff. ad L. Aquil.* (3) ser-  
vum *l. 135. l. 205. ff. de V. S. l. II.*  
*ff. de adim. leg. pr: Inst. ad L. Aquil.*

Ad S. 1.

**98. Quot modis fiebat**  
**manumissio?**

Duobus modis, *solemniter*,  
(1) in comitiis per censum,  
(2) vindictam, quibus successit  
ex constitutione Constantini  
manumissio quae fiebat in SS.  
Ecclesiis *l. 1. 2. C. de his qui in*  
*Ecc. man. vel minus solemniter,*  
inter vivos, ut inter amicos  
ac per epistolam *l. un. S. 1. 2. C.*  
*de lat. lib. coll. aut ultima volun-*  
tate quae confertur vel directa  
vel fidei commissaria heredi-  
tas *S. 2. F. de sing. reb. per fid. rel.*  
*l. 4. C. l. 43. ff. de restam. manum.*

**99. Quomodo fiebat manu-**  
**missio vindicta?**

Vindicta erat virgula, quae  
licetor Praetoris, praemissis ver-  
bis solemnibus, *ajo te liberum es-*  
*se,* servum tangebatur, quem  
mox apprehensum Dominus  
vertebat & liberum civemq;  
romanum assererebat, post in-  
ter veniebatur rapismata, &  
ita vertigine quadam circum  
actus servo pileus imponeba-  
tur *arg. l. 10. C. de restam. man.*

Ad S. 1.

**100. Quo tempore & loco**  
**potest fieri manumissio?**

E 3

Quia

Quia est actus voluntariae jurisdictionis, quovis loco & tempore etiam die feriato fieri potest l. 2. ff. de offic. Procons.

Ad §. 3.

101. Qua olim erat differentia libertinorum

Alii erant latini, qui habebant libertatem sine civitate adeoq; moriebantur ut servi l. un. §. 3. C. de lat. lib. coll. alii deduntur populi scl. devicti, qui se dederant in potestatem populi romani quorum pessima erat conditio Cujac. in tr. C. de

dedic. lib. coll. ex constitut: Justin: autem omnes libertini effecti sunt cives romani l. un. C. de lat. lib. coll. imo per novellam constitutionem, idem omnes iussit esse ingenuos salvo tamen jure patronatus Nov. 78.

102. Quomodo Justiniano ascribitur quod Antonini fuit per l. 17. de stat. hom.?

Antoninus non loquitur de statu gentis romanae, sed de aliis, qui in orbe romano erant tanquam liberi.

AD TIT. VI.

Qui & ex quib. caus. man. non poss.

103. Quid obstat manumiss.

Lex Alia Sentia quae habet duo capita, & L. Fufia caninia de qua ut. seq.

104. Quanta est connexio §§.

Caput primum L. Aliae Sent: proponitur pr: declaratur §. 1. 2. 3. caput secundum proponitur §. 4. declaratur, ut verus §. 5. 6. novum. §. ult.

Ad Pr:

105. Quid vult caput primū

L. Alia Sentia?

Qui in fraudem creditorū

manumittit, ille nihil agit, quoniam manumissio haec ceu lege prohibita est ipso jure nulla, l. §. 1. l. 24. 29. ff. b. i. juncta l. 5. C. de LL.

Ad §. 1.

106. Ergo is qui solvendo non est, non potest illum servum manumittere?

Qui solvendo non est, unum duntaxat, potest servū heredem scribere, qui, quatenus est solus & necessarius heres, eatenus fit liber, tenetur-

neturq; creditoribus satisfacere, & pati ut sua potius qvā defuncti bona vendantur l. 24. 25. ff. de hered. instit.

107. Quid hic denotat injuria?

Existimationis læsionem; licet enim subhastatio bonorum non inducat infamiam juris, inducit tamen infamiam facti, qvā defuncti memoria, per bonorum hereditariorum sectionem proprio ejus nomine factam, afficitur l. 23. ff. que infr. cred.

108. Quodnam est premium quod servus inde consequitur?

(1) Libertas qvā est inæstimabilis l. 106. de R. J. & (2) separatio bonorum post mortem domini acqvisitorum l. 1. §. ult. de separ. S. 1. J. de her. qual. & differ.

Ad §. 2.

109. Sed quid si cum hereditate, simul libertas non ascripta sit servo?

Contra strictam juris antiqui rationem, ex nuda institutione tanqvā ex præsum-

ta voluntate testatoris libertatē consequitur. l. pen. C. de necess. serv. her. inst. idq; nova & optima humanitatis & æquivatis ratione d. l. pen. d. S. 1.

Ad §. 3.

110. Quis in fraudem creditorum manumittit?

Qui vel non est solvendo, vel qui eo quod servos manumittit, solvendo esse desinit, adeoq; consilio juxta ac re suos creditores lædit l. 10. ff. h. e. est enim dolus fraus in re ipsa l. 7. §. 10. ff. de pact.

111. Quis dicitur non solvendo esse?

Qui solidum quod debet creditoribus suisolvere non potest l. 114. de V. S. Creditores autem dicuntur quibus ex quacunq; causa aliquid debetur l. 10. & seqq. ff. de V. S.

Ad §. 4.

112. Quodnam est secundū caput L. Alia Sentia?

Minor 20. annis non potest manumittere, nisi vindicta apud consilium, causā cognita & probata, l. 7. 9. 19. ff. de man. vind.

Ad

113. *Qualem hic intelligis procuratorem?*

Non tantum ad litem, verum etiam ad negotia, administratio enim bonorum perfectam aetatem & iudicium requirit, ne damnū inde patitur minor, adeoque non praesumitur causa iusta nisi illa adsint. Imo iure Can: minor 25. annis non potest esse procurator in iudicio *c. 5. §. ult. de Procur. in 6.* ne iudicium per restitutionem fiat elusorium, quod & moribus observatur.

Ad §. 6.

114. *Potesne causa semel approbata retractari?*

Non, quia nec restitutio contra libertatem quae semel competiit, datur *l. 2. §. 4. ff. de min. i. r. C. si advers. lib. l. 122. ff. de R. J.*

Ad §. 7.

AD TIT. VII. DE LEGE FUS: CAN: TOLL:

117. *Quaeratur L. Fusia Can:*

Quae certum numerum manumittendorum in testamento constituebat, nēpe à 2. ad 10. partem dimidiā, à 10. ad 30. partem tertiam, à

115. *Quid Justinianus mutavit in cap: 2. L. Alia Sent:?*

Quod minor 20 annis dummodo 17. annum impleverit & 18. attigerit possit in testamento manumittere *§. 7. b. i.* imo novissime tam masculo quam foeminae puberibus, licitum est testamento manumittere *Nov. 119. c. 2.*

116. *Quanam est ratio mutati juris?*

(1) Desumitur ab absurdo, quod contra rationem sit, puberi cui licitum est de omnibus suis bonis disponere, non simul licitum esse libertatē servis dare, tum (2) quia libertas est juris naturae, unumquodque autem ad naturalem suam conditionem tendit, & (3) libertas favorabilis iuxta & inestimabilis est, ergo non facile invidenda.

30. ad 100. partem quartam, à 100. ad 500. partem duntaxat quintam *Caj. l. 1. Inst. c. 2. Ulp. in frag. i. 2. §. 14. Paul. l. 4. sent. c. ultim.*


Examen



**L**egiferi quicumq; cupit pervolvere juris  
 Artem, & fatidici vindicis arva sequi;  
 Hic sacros numerat divino in Codice libros  
 Et facit arguto verba diserta sono.  
 Felix KLEIBOKERE pio qui pectore juris  
 REDKERIO sacras fonte resumis aquas.  
 Si sequeris lucem hanc, Themidis securus in arte  
 Miles eris; magni non sine honore Ducis.

Ita primitiis nostræ Themidi,  
 à Præstantissimo Dn: Respondente  
 & Amico oblatis,  
 volante crena applaudebat

Michael Pancratius, D. P. P.



**E**cce novos ausus! sic Tu quoq; Mi Popularis  
 EXAMEN studii fortiter Arte subis?  
 Eximium producis opus studiiq; peracti  
 Hactenus, en profers egregium specimen;  
 Gratulor & quantum possum TIBI comprecor, omnis  
 Ut benè succedat præstitus ille Labor  
 Et precor ipsa TIBI pro tanto munere tandem  
 Præmia digna satis conferat Alma THEMIS.

Hæc paucula amico suo  
 sincero posuit

Joachimus von Essen.


AD



**A**D Canonem flectens æqui sua dogmata Juris,  
Is non ambiguo fluctuat in pelago.  
Verus Justitia est Juris Canon, hanc sibi normam  
qui cupit, hic juris præmia digna capit.  
Quem Canonem tibi proponis, qui Regula Juris;  
Sic non indubio, quæ tibi meta, manet.

Sic populari & amico suo  
candido grat:

Melchior Everhardi.



**M**agna quidem res est Legum cognoscere JURA,  
Queis hominum regitur quicquid in orbe datur:  
Sed multo major res est defendere Jura  
Et Juris nodos solvere posse graves,  
Tu mihi dilectos inter numerande sodales  
Qui studii consors es patriæq; mea;  
Dum Cathedram scandis, calidosq; EXAMINIS æstus  
Non refugis, certans legitimo ex studio;  
Ingenii depromis opes & semina dia,  
Profers & mentis splendida dona tua;  
Nec solum ostendis te Legum noscere Jura  
Atq; simul & nodos solvere posse graves:  
Gratulor his causis: Pergas & sidere dextro  
Surgent JUSTITIÆ premia summa TIBI;  
Sic TE perpetuo celebrabit FAMA perennis  
Nomini & applaudet posthuma turba Tuo.

In Amici sui fraterni amorem

Antonius von Willenz

LL. Stud.











250

1. Potestatem, ut h. pr. l. 2.  
§. 1. de O. F. l. 4. de F. l. pen.  
C. de furi. (2) vim, l. pen. de ser-  
exp. l. II. §. 3. ff. de his qui noi inf.  
(3) chirographum l. 15. ff. de  
probat. (4) membrum l. 48. §.  
l. ff. de V. S.

96. Quomodo servitus liber-  
tate in vasi?

Jure gentium propter ma-  
jus malum evitandum, ne  
sel. victi in bello occideren-  
tur, est itaq; contra jus natu-  
rale non decretivum sed per-  
missivum, quia natura per se  
omnium libertatē intendit.

97. Quid vox hominis  
denotat in jure?

(1) In genere animal rati-  
onis particeps, sine ulla status  
aut sexus discretionē l. 152. de  
V. S. §. 1. ff. de Jur. N. G. & C.  
(2) Specialiter fœtum de cujus  
sexus discretionē nondū con-  
stat l. 38. §. 1. ff. de pœn: aliās par-  
tus nondum editus secundū  
leges non recte dicitur ho-  
mo l. 9. ff. ad L. Aquil. (3) ser-  
vum l. 135. l. 205. ff. de V. S. l. II.  
ff. de adim. leg. pr: Inst. ad L. Aquil.

Ad §. 1.

98. Quot  
manu

Duobus m  
(1) in comiti  
(2) vindictā,  
ex constitucio  
manumissio q  
Ecclesiis l. 1.  
Eecl. man. vel  
inter vivos, u  
ac per epistola  
de lat. lib. coll. au  
tate qva cōfer  
vel fidei comr  
tas §. 2. ff. de si  
l. 4. C. l. 43. ff. de

99. Quomodo  
missio v

Vindicta er  
lietor Prætoris  
bis solennibus  
se, servum tat  
mox apprehen  
vertebat & lib  
romanum asse  
ter veniebant  
ita vertigine  
actus servo pil  
tur arg. l. 10. C.  
Ad

100. Quo ten  
potest fieri  
E3



37

ter,  
m,  
fit  
ini  
SS.  
in  
ter,  
cos  
. C.  
in-  
sta  
di  
rel.  
m.  
u-  
vā  
er  
ef-  
m  
us  
q;  
n-  
&  
cū  
pa-  
l.  
co  
ia